



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XXIV. In Titvlvm XXIV. De Donationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

QUÆSTIO XXIV.
IN TITVLVM XXIV. DE DONATIONIBUS.

1930 **D**onatio, quasi doni dario, est liberalitas, nullo jure urgente facta, seu, ut loquuntur Jurisconsulti, est rei licita, nullo jure cogente, mera liberalitate, facta collatio; nam Julianus L. 1. ff. de donat. dat aliquis, inquit, ea mente, ut statim velis accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, & propter nullam aliam causam facis, quam, ut liber alitatem, & magnificentiam exerceat. Non dissimiliter à Theologis, ducè S. Thomam in 1. d. q. 1. a. 2. sic definitur: est *datio liberalis, incredibilis*: id est (ut exponit Molinatr. 2. D. 273.) non in commutationem pro re alia, quæ retribuitur; inter promissionem, & donationem est discrimen, quòd *promissio*, naturalis sua, & præciso jure positivo, non habet vim transferendi domini: at *donatio*, ex vi propria dominium solis verbis transferret, nisi obtaret jus positivum, requirens traditionem; ille, cui fit donatio, *Donatarius* appellatur. Communis divisio donationis in genere est in donationem *inter vivos* & in donationem *causa mortis*, de utraque, & ulterioribus donationis divisionibus dicemus in seqq.

ARTICULUS I.

De donatione inter vivos.

1931 **D**onatio inter vivos est, quæ fit absque ulla causa mortis; & dividitur 1. in absolutam, conditionalem, modalem, & causalem; *absoluta* quæ & *pura* dicitur, est, quæ fit simpliciter, ita, ut res donata statim fiat accipientis, *conditionalis* fit sub conditione, ut, cum mihi donas equum, si Titius ex Asia venerit; de qua V. Lib. 4. tit. 5. à n. 886. *Modalis* (quæ donatio *sub modo* appellari solet) est, quæ modum adjectum habet: ut, si dicas: dono Petro fundum meum, ut Paulo alimentum præstet; hæc statim valet, quævis modo deficiente revocari queat, L. 1. C. de Donat. sub modo: at illa (nempe *conditionalis*) suspenditur, usque ad impletam conditionem, *Causalis*, seu *ob causam* fit, quando res donatur ad aliquem destinatum finem: ut si dones Petro equum ad bellum, vel libram ad studium, vel pecuniam ad spectacula po-

pulo exhibenda, si dones aliquid ad nuptias, vel ad susceptionem ordinis, vel ingressum Religionis.

Dividitur 2. in remuneratoriam, & simplicem; *remuneratoria* est, quæ fit alicui pro obsequio, & industria in eorum remunerationem; *simplex* habetur, quando aliquid liberaliter donatur, ita, ut præcipua causa motiva sit exercere liberalitatem, quamvis interveniat peculiaris affectio, & amor erga donatarium. Præter has varix sunt alix donationum species; nam alia est *colorata donatio*, de qua L. ab Anastasio §. 1. C. mandati, ubi alio nomine *figurata* dicitur, & est idem atque *simulata*, *occulta*, & *clandestina*, & non sincera: alia *inofficiosa donatio*, quæ fit contra officium, nempe obsequium pietatis, v. g. quia filii, vel parentes excluduntur à bonorum subsidio, sive ex intentione donantis, sive re ipsa, L. 1. C. de inoff. donat. quod sufficit ad revocationem, L. si liqueat, C. eodem.

Præter hæc not. 1. *donationis* appellatione in materia statuti, venire donationem *rigorose*, ac *proprie* sumptam, nimirum simplicem, quæ fit ex mera liberalitate, non autem, quæ fit ex causa; ita sim. de Pretis l. 2. f. 109. n. 1. & alii, volentes, quod, si statutum mandat, insinuari *donationem* à centum supra, quia est contra jus commune, intelligi de propria, & vera donatione, quæ est ex liberalitate; Tuschus præfatar. conclus. tom. 2. lit. D. con. 621. n. 20. post Bald. conf. 341. n. 3. lib. 1. qui addit renuntiationem pignoris non esse donationem n. 23. illud quoque, quod donat Pater filio usque ad legitimam, non esse donationem, & n. 24. cum Bald. conf. 371. repudiationem hæreditatis donationem non esse.

Not. 2. *donationis* appellatione in prohibitis, nec venire donationem *causa mortis*, ut ex L. filius fam. §. si de eum ff. de donat. tradi à Natta conf. 645. n. 3. l. 4. Quod vero statutum, vel constitutio prohibens minorem donare sub quacunque forma, vel alienare, nisi servata certa solennitate, non comprehendat *donationem causa mor-*

454

gis docet Baldus con. 169. junct. casu. l. 4. ut refert Tusch. cit. conc. 622. n. 21. *Obligationis nomine*, quam irritat Trident. sess. 23. de reg. c. 16. venire *donationem*, quae proinde non valet sine solemnitatibus ibi requisitis, docet Sanchez l. 7. Decal. c. 5. n. 20. *renuntiationem* autem, non esse proprie *donationem* tradit Salas de Leg. D. 15. n. 75. quia *donatio* est de re propria; *renuntiatio* vero tantum de approprianda per acceptationem; unde Fernandez absolute, & sine ulla limitatione dixit, hereditatem, aut legatum renunciatum, in fraudem fisci, non revocari.

1935 Not. 3. *donationem* inter vivos factam pure, seu absolute, ac simpliciter, esse proprie *donationem*, & statim, cum eam acceptat donatarius, transferre rei dominium in donatarium, facta rei vera, vel facta traditione; ante acceptationem autem non parere actionem; secus acceptatum; *S. alia autem* Instit. de donat. & ea actio tendit ad rei traditionem.

1936 Not. 4. *donationem* inter vivos fieri etiam posse *sub conditione* suspensiva; sed tunc ante conditionis eventum non obligat; vel *sub modo*, nimirum cum onere, v. g. ut donatarius rem donatam applicet ad pios usus; vel *ad certum diem* v. g. ut res sit donatarii post annum; vel ob causam, ut supr. dictum est, & pluribus diximus lib. 4. *Donatio* porro *sub modo* statim valet, & obligat, nec suspenditur propter adjectum modum; revocari tamen, & donatum repeti potest modo non impleto. L. 1. C. de donat. sub modo. §. 1. de insinuatione donationis.

1937 Not. 5. ex *donationibus* inter vivos quasdam esse, quae requirunt *insinuationem*; haec, ut sumitur in L. Lata. C. de donat. definitur à Juristis apud Alex. Scot. V. eod. *scriptura facta in praesentia publicarum personarum & in actis*. ubi superfluum est testes adhiberi, cum publica monumenta sufficiant; à Theologis autem duce Molina tom. 2. D. 278. & Lessio lib. 2. c. 18. n. 97. sic describitur: *est simplex suae mentis declaratio qua quis declarat judi. i. se libere donare huic tantum, vel tantum atque tabellione redigente id in actis*; ad quam non opus est causae cognitio, vel facultas à Judice, vel quod in loco iudicii fiat: sed sufficit, Judicis praesentia, & quod donator per suum procuratorem praesens sit.

1938 Not. 6. ad illas porro *donationes* inter vivos olim insinuationem fuisse necessario requisitam, quae ducentos, postea, quae recentos solidos excedebat. *S. alia autem*; Inst. h. t. & L. 34. C. eod. hodie autem illas tantum, quae quingentos solidos excedunt, *S. alia autem*; omissa vero insinuatio invalidat *donationem* quoad excessum tantum; non autem quoad reliquam summam. L. sancimus 34. C. h. t. & cit. *S. alia autem*. ubi adverte, per *solidum* in iure intelligi aureum Italicum, quorum 72. libram auri conficiunt ut notat Pirhing h. t. n. 5. quae Myfingero, & Scheidevino recte addit, ex generali, & jam recepta consuetudine per *solidum* nunc intelligi aureum Ungaricum, seu ducatum.

1939 Not. 7. ab illa regula, quod *donatio* excedens quingentos solidos, insinuanda sit, excipi 1. *donationem* factam in reparationem aedium, L. pen. C. h. t. 2. factam pro redemptione captivorum, cit. L. penult. 3. factam Ecclesiae, Monasterio, vel loco pio, aut ad pias causas; quia jus civile nequit disponere in praedictum pia causa, ut recte, ac pluribus exemplis demonstrat Cardenas in Crisi Theol. tr. 2. D. 21. c. 8. n. 162. 4. *Donationem* remuneratiam, si non excedat merita, sic Clarus cit. q. 16. 5. denique omnem *donationem*, quae fit ob causam; quia tales *donationes* non sunt *donationes* strictae, & constat ex n. 1935. his praemissis:

1940 *Questio* 1. est, an Episcopi, Praelati, aut Rectores Ecclesiarum, de rebus Ecclesiae, Collegii, vel Monasterii, possint facere *donationes* merè gratuitas, nimirum nullo alio, quam merè liberalitatis titulo subnixas; de hoc agitur c. *Fraternitatem*. 2. h. t. ubi Alexander III. *Fraternitatem tuam ait, credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Praelatus, Ecclesiasticarum rerum sit procurator, & non Dominus, conditionem Ecclesiae meliorare potest; facere vero deteriorum non debet*: accepimus autem, quod praedecessor tuus graves *donationes* in rebus Episcopatus fecit, in detrimentum Ecclesiae, suis Canonicis inconsultis Unde, quoniam *donationes* huiusmodi de iure non tenent, indulgemus tibi, ut liceat *donationes* huiusmodi tam à Clericis, quam à Laicis legitime revocare.

1941 Ex hoc textu deducitur, Praelatos, & Rectores Ecclesiarum de harum bonis non

non posselicitè, & valide facere donationes proprie dictas, nimirum pure liberales sine consensu Capituli, & aliis de jure requisitis, pro quo not. quod antidorum sit contraria donatio juxta Gloss. ad L. sed & ff. §. consuluit. ff. de pet. hered. & interpretatur remuneratio, seu retributio; hinc antidoralis obligatio apud Sanchez lib. 2. Decal. c. 23. n. 30. non est de rigore justitiae; sed politica ex gratitudine, & urbanitate, quae correspondet beneficiis, proindeque (ut habetur §. consuluit legis citatae) dicitur obligatio, non efficax ad agendum; sed equitate subnixae, ad excipiendum.

1942 Not. 2. dictum c. intelligi quoad donationes, immodicas, & magni pretii, nam modicas potest cum consensu Capituli vel etiam sine, ubi consuetudo est, c. Ceterum. h. t. ubi dicitur, quod in considerando, an valeat donatio facta per Praelatum? debet attendi *quantitas res donatae, & loci consuetudo*; in harendo literae donationes autem modicas etiam merè liberales, nec sacri canones, nec consuetudo reprobant; Ceterum, etiam sine consensu Capituli, & Solemnitatis juris, ob causam pietatis, vel misericordiae, seu titulo elemosinae facere possunt, c. i. h. t. imò, & remuneratorias magnorum beneficiorum, quae Ecclesiae, vel Praelato, ejus intuitu praestita fuerunt 12. q. 2. c. Quicumque, 66. ibi: *quicumque Episcopi, suffragio cujuslibet, aliquid Ecclesiasticae utilitatis providerint, & pro eo quodcumque commodum in remunerationem promiserint, promissi solutionem eos exolvere oportebit, ita, ut id ad Concilium Provinciale deferatur, ut eorum convenientia confirmetur; quia* (sicut Paulus ait) *dignus est operarius mercede sua.* & c. Per tuas. 5. h. t. ubi titulo remunerationis certa terrae portio in feudum Laicis ab Episcopo concessa approbatur ab Innocentio III. quod tamen intellige, servatis iis, quae dicta sunt in Tit. de rebus Eccles. non alien.

1943 Quaestio est 2. qualis in dubio fieri debeat interpretatio in donationibus inter vivos? R. quod latissima in favorem donatarii, ut expresse dicitur in c. Cum dilecti. 6. h. t. ubi etiam dicitur, quod *clausula onerosa*, post multas donationes apposta, tantum proximam donationem afficiat; sic tamen, ut fiat secundum mentem disponentis; sic Barbosa ibidem, quod ta-

men limita, ut procedat, quando agitur de praedictio disponentis; non autem, quando agitur de praedictio tertii L. 2. C. de precib. Imper. offerend. vel cum derogatur juri communi. Gloss. in c. 3. de offic. Jud. ord. in 6. v. Dispensationes.

1944 Quaestio est 3. quid censeatur concessum, quando Episcopus, consentiente Patrono, Religiosis concedit aliquam Ecclesiam his verbis: *concedo vobis istam Ecclesiam*; utrum concessa videatur in eorum usum, vel jus tantummodo Patronatus? hoc dubium Episcopus Helienensis proposuit Innocentio III. qui eidem rescripsit: Si Episcopus conferat Ecclesiam, cum consensu Patroni; Patronum videri conferre, quod suum est, jus videlicet Patronatus; Episcopum autem id, quod temporaliter obtinet, nimirum fructus in Religiosorum usus convertendos; si vero nulli proventus ad ipsum pertinent, omnes proventus (praeter cathedraticum) videri in usum eorum convertendos; sed ad hoc ab Episcopo Capituli consensu esse requirendum; sic c. Pastoralis. 7. h. t. quo habetur verbum *concedo* non inferre ex se, *omnimodam dominii translationem*; ideoque in dubio referri ad jus singulare, si quod habet Episcopus in Ecclesia; & similiter ad jus Patronatus, quod habet Patronus, si tali concessioni consentiat; Secus quando Episcopus nullum jus singulare reddituum; in pensionis, obtinet in Ecclesia; tunc enim videtur concedere omnes redditus in usum Religiosorum; vel aliorum, quibus Ecclesiam concedit, ne concessio videatur frustratoria; quia non appareat ratio, cur magis concedere debeat aliqua, quam omnia; cum omnia sint ejusdem conditionis, & qualitatis arg. c. Cum in duobus de decimis; sic Panormitanus in dict. c. Pastoralis n. 8. excipe tamen *cathedraticum, & procuraciones* in visitatione, propter alibi dicta.

1945 Quaestio est 4. an Episcopi habeant speciale privilegium donationes faciendi? R. habere, ut dicitur in c. Apostolica. 9. h. t. ubi habetur, quod donatio quinquagesimae, vel centesimae; quam facit Episcopus de rebus Ecclesiae, cui praest, si fiat cum gravi Ecclesiae suae detrimento, possit legitime revocari; nec etiam possit ultra quinquagesimam, vel centesimam conferre, etiam cessante laesione Ecclesiae

fiat, sine auctoritate Superioris. Circa hoc not. istud privilegium donandi quinquagesimam, aut centesimam Ecclesiæ alteri, esse proprium *Episcoporum*; non inferiorum *Praëtorum*, quia jura solum faciunt mentionem *Episcoporum*, c. *Bona rei*, & c. *Si Episcopus*. 12. q. 2. restringitamen ad propriam Parochiam, sive *Dioecesim*; nam, nomine *Parochia*, *Dioecesis* venit in hoc textu, & c. 1. de raptoribus, ut notat hic Panormitanus: igitur non poterit Episcopus, vi hujus privilegii, de bonis Ecclesiæ suæ donare quinquagesimam, aut centesimam redituum partem, monasterio, aut Ecclesiæ sitæ *extra suam Dioecesim*.

1946 Quæstio est 5. an donatio inter vivos semel perfecta, & acceptata, revocari possit? b. etiam nondum facta traditione non possit regulariter L. 2. & fin. C. de revocand. donat. vel rescripto Principis. L. 5. vel amissione instrumenti donationis L. 2. C. eod. dixi *regulariter*, nam aliqui casus sunt excepti, ut habetur L. fin. C. h. t. & c. fin. cod. ibi: *Propter ejus ingratitude[m], in quem liberalitas est collata donatoris persona. de rigore juris eam potuit revocare. si forte in ipsum impias manus injeceris, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumperit; quod tamen donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur Successores.*

1947 Ab hac tamen regula (quod donatio revocari possit propter *ingratitude[m] donatarii*) excipe 1. donationes *ob causam* L. penult. §. *Si quis*. junct. gloss. v. *Irrevocabilis*, & L. *Aquilus* ff. h. t. 2. factas *pia causa*, cum factæ sint Deo; & delictum administratoris non debeat in detrimentum Ecclesiæ retorqueri, nisi directè forent in commodum ipsius *Praëlati*, 3. factam *causâ dotis* post contractum matrimonii. L. 24. C. de jure dot. 4. collationem beneficij; quia collator non liberaliter, sed ex necessitate officij confert.

1948 Præter hæc not. 1. hoc jus revocandi donationem non extendi ad hæredem Donatoris, qui non potest revocare donationem factam à defuncto propter ingratitude[m] in se commissam, aut in ipsum defunctum; rationem rectè assignat Panormitanus; quia donatio fit ex mera liberalitate donantis, & intuitu Donatarii, non hæredis; ideo ingratitude

consideratur solum respectu donatarii, non hæredis; sunt enim merita, & demerita personalia, ideoque per se non transeunt ad hæredem, ut optime notat Panormitanus n. 4.

Not. 2. si Collator sciens ingratitude[m] 1949 nem commissam, tacuit, nec declarando suam voluntatem revocandi, jus revocandi non transire ad ejus hæredes, c. fin. h. t. Secus, si ignoravit, vel à revocatione impeditus, vel morte præventus fuit, arg. c. *cum in veteri*, de elec. & L. fin. ff. de dilat. fa. in quo ponenda sunt hæc verba: *quando donator tacuit*; neque enim dicitur tacuisse, qui ignorat, vel non habet tempus comperens ad agendum.

Not. 3. ut revocatio donationis ob in 1950 gratitudine[m] rectè fiat, advertendum, eam non ipso jure fieri, sed per sententiam Judicis, L. fin. C. de revoc. donat. 2. in dato casu (probata ingratitude[m], & lata sententia pro donatore) revocari primo omnia donata, quæ adhuc sunt penes donatarium, non autem illa, quæ ante litem, ipsi motam, desit possidere; 2. etiam fructus perceptos post litem contestatam; sic Zoësius in ff. h. t. n. 103.

Alter casus, quo donatio inter vivos 1951 revocari potest, est, si non sit impletus modus, seu obligatio, sub qua donatum est, ut constat ex n. 1931. tertius, si quis, non habens liberos, vel omnia sua bona, vel partem, inter vivos purè gratuitò donavit, & postea inopinè, & præter spem liberos suscipit, tunc enim tota donatio revocari potest L. *si unquam*. §. 3. C. de revoc. donat. sed intellige, de liberis *natur alibus*; & *legitimis*, non *illegitimis*, licet Principis rescripto legitimatis; sic Pirhing. h. t. n. 45. Sed excipe 1. nisi Donator expressè juri revocandi renuntiaverit, ut vult Clarus cit. q. 22. quamvis valde probabile sit, talem renuntiationem esse in præjudicium liberorum, quorum favorem lex illa, *si unquam* respicit, adeoque invalidam esse; 2. donationem *ob causam*, quæ respicit commodum donatoris; sic enim non est merè liberalis; 3. donationem ad causam *piam*; hæc enim in dato casu non tota revocatur, sed solum in ea parte, quæ ad legitimam jure naturæ liberis debitam necessaria est, sic Abbas in c. fin. h. t.

Quartus casus est in donatione inoffi- 1952 ciosa, quæ scilicet facta liberis, uni, vel al-

teri, aut extraneo, contra officium paternae pietatis, si scilicet per hoc legitima reliquis jure debita, vel auferatur, vel diminuat, L. 1. 2. §. & 7. C. de offic. donat. Si peras, an donatio inter vivos revocari possit ob alias causas ingratitudini Donatarii, vel pares, vel majores? R. negativam esse conformiorem juri, cum in cit. L. *fin.* dicatur: *Ex his tantummodo causis donationes everti conedimus*; affirmativam autem aequitati. v. Lefl. l. 2. de Just. c. 18. n. 104.

1953. **Quaestio** sexta est, an valeat inter vivos donatio omnium bonorum: praesentium, & futurorum? corporalium, & incorporalium? R. 1. non esse illicitam jure natura; quia fieri potest etiam summè laudabiliter, ut patet in his, qui relicto seculo, bona omnia donant pauperibus, vel ad alias pias causas, & in Religioso statu Deo serviunt; cum in tali donatione nihil omnino dissonum rectae rationi contineatur; ex quo etiam sequitur jure natura validam esse talem donationem, loquimur autem de donationibus inter vivos.

1954. **Resp.** 2. dictam donationem jure civili prohibitam, & invalidam esse. L. *stipulatio hoc modo concepta* ff. de verb. oblig. L. *omnes* §. *1. n. 104.* ff. quae in fraudem Creditorum: cum adimat facultatem testandi, praebet causam captandi mortem donantis, & Subditos Reipublicae reddat miseros; Loquimur autem de donatione inter vivos; ita tenet communissima sententia, & ferè etiam praxis Tribunalium, ut notat Wading⁹ de contr. D. 3. dub. 12. §. 1. Hauldus tamen tom. 3. tr. 9. n. 167. ait talem donationem nullo jure videri prohibitam; ubi leges, & canones in contrarium dissolvit, & complures etiam, pro sententia sua Doctores affert, satis probabiliter; si tamen retineatur prior opinio; ab ea excipietur. 1. donatio ob causam, cum non sit donatio stricte. 2. donatio omnium bonorum, reservato tamen usufructu (jure usufructuarii donanti salvo) qui sufficiat pro alimentis, & facultate testandi de fructibus; sic Castropalaus cit. §. 3. n. 2. 3. donatio omnium bonorum facta ad pias causas; nam, his praedjudicare non possunt leges, ut diximus alibi. 4. donatio omnium bonorum causa mortis; cum enim revocabilis sit, non auferat facultatem testandi, nec donantem miserum reddit.

1955. **Not.** autem 1. sub nomine omnium bonorum.

Tom. 111.

norum, mobilium, & immobilium, vi verborum, non venire jura, & actiones. L. à *Droo Pio*. §. *in venditione*. ff. de re judic. L. *quod Tuberonis*. §. *in peculio*. ff. de peculio; Secus sub nomine *bonorum incorporalium*; nota 2. nec sub nomine omnium bonorum *in tali loco* venire jura, & actiones; quia jura, & actiones *loco* non continentur; L. *Cajus* ff. de Legat. 2. L. *si fideicommissum*, ff. de Judiciis. Jul. Clar. §. *Donatio*. q. 19. nota 3. donatione *hereditatis*, sub hoc nomine intelligi etiam jura, & actiones; nam nomine *hereditatis* univèrsum jus defuncti intelligitur, L. *aliud*. ff. de verb. signif. quando autem donatur *hereditas*, intelliguntur sola bona *praesentia*, nam hereditas *contractu inter vivos* dari non potest, L. *hereditas*, C. de pact. conventis. L. *pactum, quod detati*, C. eod. & L. *Ex eo*. C. de inutil. stipulat. an autem donatio omnium bonorum, quam jus commune invalidat, appposito juramento confirmetur, sic, ut valeat vi pacti, & obliget in vi Justitiae? resolvitur ex dictis l. 1. ad tit. de pactis, ubi diximus, quod pacta, jure positivo irrita, appposito juramento obligent *in vi juramenti & religionis*; non autem *in vi pacti*, seu *justitiae*; sic Castropalaus P. 7. D. 2. p. 24. §. 2. n. 1. contra Hauldum tom. 3. tr. 9. n. 165.

ARTICULUS II.

De donatione causa mortis.

1956. **Donatio causa mortis**, de qualatè in jure L. 1. & L. *Senatus*. ff. de mortis causa donat. & Instit. de donat. sic describitur à Molina tr. 2. dist. 287. Donatio causa mortis est, quando gratis aliquid traditur, aut promittitur, ut donantis morte absolute, aut ea sola morte, quae de proximo, quando donatio fit, timetur, secuta, ante donatarii mortem, res irrevocabiliter donatarii fiat; cum deambulatoria donantis usque ad ipsius mortem facultate revocandi omnino eandem donationem; discrimen inter testamentum, & donationem causa mortis constituit Covarr. 3. p. in rubric. de testam. n. 13. quòd in testamento non requiratur praesentia haeredis L. *cum Pater* §. *Surdo*. ff. de legat. 2. at in donatione causa mortis requiratur praesentia donatarii L. *si inter mortis*. ff. de donat. causa mort. adeo, ut alius nequeat donationem nomine alterius acceptare, nec acceptatio postea facta per donatarium prosit.

Mmm

Ex

1957

Ex hoc deducitur donationem causa mortis sic fieri, ut res donata, primum secuta donantis morte donatarii fiat; hinc, ante mortem donantis, semper revocari potest; quod intellige, si donet absolute in tempus; & hoc exprimendum est; nam alias praesumitur facta donatio causa mortis *praesentis*, nimirum facta sub conditione, casu quo *nunc* mors eveniat, de quo Castropalaus cit. p. 13. n. 3. Haec donatio convenit cum donatione inter vivos quoad initium, & productionem; hinc indiget acceptatione donatarii. L. *inter mortis*. ff. de mortis causa donat: quoad effectum autem convenit cum legato, & dispositione ultimae voluntatis; hinc requirit solennitatem testium, necessariam ad Codicillum L. *ult.* C. de donat. mort. caus. & revocari potest a donante, quam diu vivit, L. *si mortis causa*. ff. eod. & ex illa debetur Falcidia, sicut ex legato, L. *cum Patre*. ff. de legat. 2. L. *si mortis*. C. ad legem Falcidiam; & sufficit capacitas in donatario tempore mortis, donantis L. 1. ff. de legat. 3. junct. gloss. ac si facta est in testamento, vel Codicillo, his ruptis, & illa rumpitur; sed hoc sub opinione est, ut notat Castropalaus n. 5. his praemissis:

1958 Dubitari potest 1. unde dignosci queat, donationem factam esse *causa mortis*, vel inter vivos? 2. quid donare possint causa mortis? 3. in specie, an id possit mulier? 4. an Usurarius manifestus? 5. an valeat donatio inter conjuges causa mortis? Ad 1. ad id id pendere ex intentione donantis, & quidem non esse censendam causa mortis, si concepta sit absque ulla mentione mortis, tamen si facta sit ab infirmo, & morti proximo, L. *Seia*. §. *fin.* ff. de donat. Deinde etiam donatio inter vivos censeri debet, quando mentio mortis solum fit pro executione donationis, ut, si infirmus dicat: dono Titio centum, quae illi post mortem meam praestentur; nam hic mentio mortis fit pro tempore, quo fieri debet executio, consequenter non donationis, sed executioni adjicitur; sic Fachinaeus c. 13. controvers. c. 22. ex hoc autem, quod donator promiserit se non contraveniturum donationi causa mortis, non constituit donationem inter vivos. Ad 2. r. filium familias, puberem, etiam absque consensu Patris, donare posse causa mortis de bonis castrensibus; & quasi castren-

sibus, ratio est, quia, cui testamenti factio permessa est, ei etiam permessa est donatio causa mortis, ut tradit Molina de jure, & justitia. D. 288. §. *quid de haere*; Castropalaus cit. p. 16. n. 1. & alii; & probatur ex L. *Filius*. ff. de donationibus, §. *haec omnia*, 6. ibi: *Ceterum, qui habent castrense pecunium, vel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare, & mortis causa, & non mortis causa possint, cum testamenti factionem habeant.* Praeter haec not. probabilius etiam causa mortis a filio familias donari posse cum expresso consensu Patris de bonis adventitiis; quia sic contrahere potest; talis autem donatio magis accedit contractibus, quoad suam productionem, quam testamento; minores autem absque Curatoris autoritate non possunt donare mortis causa, prout colligitur ex L. *filii familias*. ff. de donat. ibi: *pari autem ratione, qua donare filius familias prohibetur, donare causa mortis prohibebitur*; at minori prohibita est donatio inter vivos absque Curatoris interventu; ergo censenda est prohibita mortis causa donatio absque eo consensu; unde, quando dicitur: *cui conceditur testamenti factio, conceditur donatio causa mortis*, subintelligenda est, nisi a jure aliqua specialis solemnitas pro donatione requisita fuerit, uti comparatione minoris requiritur Curatoris Autoritas.

Ad 3. r. mulierem nuptam absque consensu viri donare posse causa mortis affirmari a Fachinzo, l. 5. controvers. c. 60. quia potest testari; ergo, nisi alicubi specialiter derogatum sit, statuto, vel jure municipali, vel in tali persona exigatur aliqua solemnitas, spectato jure communi poterit donare causa mortis; quia per L. *cum hic status*. §. *similes*. ff. de donat. inter virum, & uxorem, cui permittitur facere testamentum, permessa etiam est donatio causa mortis. Ad 4. r. probabilius, nullam ejus donationem causa mortis valere absque legitima cautione praevie data de solvendis usuris; ratio est regula Glossa in L. *ram is*. ff. de mortis causa donationibus, ubi, prohibita testamenti factione, prohibetur mortis causa donatio; a qua regula solus filius familias excipitur; sed Usurario manifesto prohibita est testamenti factio absque praestita cautione de restituendis usuris. *Quamquam*, de usuris in 6. accedit, quod donare causa mortis, sit

fit mandare de rebus suis; & taliter donatum, fit quasi legatum; at ejusmodi usurarius per c. *Quamquam*, nihil mandare po-

test per ultimam voluntatem; & cum testari nequeat, nequit etiam legare; ergo. Ad 5. 3. affirmative; de quo lib. 4. tit. 20.

QUÆSTIO XXV.
IN TITVLVM XXV. DE PECV-
LIO CLERICORUM.

1960 **H**oc titulo specialiter agitur de bonis Clericorum per ordinem potissimum ad sequentes titulos, ut constet, quo jure possint, aut non possint ea transmittere in alios, præsertim per ultimam voluntatem; vel, ubi decedunt, ab intestato. Non agimus hic de peculio filiorum familias quadruplici; sed Clericorum, quæ habent, vel communi titulo cum Secularibus; vel, speciali ratione sui ministerii, aut intuitu Ecclesiæ, cui deserviunt. Coeterum *peculium* in genere, ac vi vocis, est pusilla pecunia, seu pusillum patrimonium L. *depositi*. ff. de peculio; est etiam eorum, qui sui juris sunt; tum eorum, qui alterius sunt potestatis, sive sint servi subditi suis dominis, sive sint filii subditi suis parentibus; de quibus in seqq.

ARTICULUS I.

De bonis Clericorum Secularium.

1961 **B**ona Clericorum Secularium sunt in triplici differentia; nam, quæ habent ex hereditate, donatione, vel aliis contractibus civilibus, dicuntur *bona patrimonialia*: quæ acquirunt arte, vel industria propria, *non Ecclesiastica*; quæ verò habent, tanquam stipendia suorum laborum, officiorum, & ministeriorum Ecclesiasticorum, dicuntur *quasi patrimonialia*; talia sunt, quæ acquirunt celebrando, prædicando, sacramenta ministrando, vicarium temporalem agendo, quo etiam reducuntur funeralia, & secundum aliquos, distributiones quotidianæ; ut notat Pithing. h. t. n. 2. quæ denique habent, ex suis beneficiis Ecclesiasticis, dicuntur bona mere *Ecclesiastica*.

1962 **C**um autem alias, ubi sermo est de filiofamilias, sit quadruplex peculium, profectitium, adventitium, castrense, & quasi castrense; in Clericis Secularibus bona

patrimonialia etiam dicuntur *Castrensa*; quasi patrimonialia, *quasi castrensa*; mere Ecclesiastica verò *profectitia*; hujusmodi sunt annui redditus, ex fundis, seu prædiis, & bonis Ecclesiasticis ratione Decanatus, Canonatus, vel alterius beneficii Ecclesiastici, quo etiam reducuntur decimæ Parochiarum; & de his in præsentibus potissimum quaritur; nam alia bona, nempe patrimonialia, & quasi, sunt sub libera, & plena dispositione Clericorum Secularium.

Coeterum peculium castrense filiorum familias nomen habet à castris, & dicitur, quod in militia, vel occasione militiae, comparatur, qualia stipendia, spolia, donativa Ducum, vel commilitonum: hereditas, & legatum occasione militiae; unde si consanguineus cum alio versetur in bello, & ei relinquit aliquid, præsumitur relictum causa militiae L. 4. C. de castren. pecul. mil. item præsumitur datum causa, & intuitu militiae omne genus armorum, & quidquid in serviens bello, ut subeat rationem peculii Castrensis; sola mobilia, quæ donantur filio eunti ad bellum, vel à Patre, vel à Matre, vel à quacunque persona, *Castrensa* esse possunt; immobilia nequaquam: cum vero castrum in jure etiam regis palatium significet, bona castrensa vocantur, quæ in regis palatio acquiruntur L. *unic.* C. de Castrenf. palat. pecul. lib. 12. Denique, quæ ex talibus bonis, mediante aliquo contractu proveniunt, castrensa reputantur.

1964 *Quasi castrense* est, quod habet privilegium Castrensis, quale omne id quod ex beneficio Ecclesiastico comparatur: imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiam si alias esset adventitium; sic habetur expresse in authen. *Presbyteros*, C. de Episc. & Cleric. sunt enim Clerici milites spirituales; item, quidquid acquiritur officio publico, (non mechanico) ut Ju-